

est discedere in alia omnia, ita, vt vniuersa illa oda-  
ria, quae nomen Anacreontis, auctore Stephano, in-  
scriptum ostentarent, ingenio Teii senis, styloque,  
deberi contendenterint, et, qui aliter sensissent, eos vl-  
lum verae, antiquaeque, venustatis, et pulchritudi-  
nis, gustum, iudiciuque, habuisse negarint. Quam  
quidem sententiam defendere patrum nostrorum me-  
moria, et propugnare, studuerunt omnibus modis  
Baxterus maxime, et Barnesius, ita, vt inuenerint  
in omnibus ciuitatibus humanis assensores, et lauda-  
tores, quam plurimos: <sup>5</sup> quo in numero nosmet ipsos  
fuisse nuper, ex iis, quae ea de re disputauimus in  
praefatiuncula ad editionem primam horum odario-  
rum, intellegi ab omnibus potest. Quomodo enim  
iuuenis verecundus, qui carere se scientia Graecarum  
literarum idonea, iusta que iudicij subacti, et acris,  
grauitate, sciret, eam suscipere audaciam potuisset,  
vt oppugnaret sententiam, quam dixissent viri eius-  
modi, quorum auctoritatem sequutos esse videret tot  
accuratae doctrinae, acutique ingenii, et iudicij subteli-  
lis, laude florentissimos homines? Sed quum colle-  
gissem usum hoc in genere literarum maiorem; quum  
intellegere coepissem, non eam sententiam grauem  
iudicari debere, et veram, quae subscriptores, et  
approbatores, numeraret plurimos, verum hanc,  
quae confirmari reperiretur argumentis, et rationibus,  
maximis; quum instituissem pondus argumentorum  
sententiae cuiusque saepius tecum, et diligentius,  
examinare, atque expendere: vidi tandem, et per-  
spexi, rationes eius sententiae, quam secundo loco  
pro-

<sup>5</sup>. Vid. Commentarii de libris nouis, qui inscribuntur *Bibl. rai- sonnée des ouvrages des Savans de l'Europe*, To. 8. P. 1. art. 4. p. 101. — 126.1 vbi vir quidam doctus sat facere pauci dubitationibus co-

natus est. Conf. Clericus biblioth. sel. To. 11. p. 335. — 346., et Bodonius Prolegg. ad editionem horum carminum Parmensem p. 53. — 61.